



Samelbd.

0/0

die,

50
OVIDII
LASCIVIAM

BREVI COMMENTATIONE

AD

ORATIONES IUVENILES

a. d. X. Sept. A. M. R. MDCCLXXI.

BENEVOLE AVDIENDAS

HUMANISSIME INVITANS

DEFENDIT

CAROLVS HENRICVS SENTENIS

AA. LL. M. LYC. TORGAVIENS. RECTOR.



TORGAVIAE, LITERIS RÜDELIANIS.

OVIDII
CLASSICAM

BRVI COMMENTATIONE

AD

ORATIONES IVYENNES

ALEXANDRI ALEXANDRI

RECTORIS ACADEMIAE

HELMSTADTENSIS

DESCRIPT

CAROLVS HERRICVS SINTENIS

ANNO MDCCLXXXIII

FORCHHEIM: LITTEAE RECHTAMIS.



QVINCTILIANI, veteris eloquentiae resuscitatoris, de *OVIDIO* eiusque scribendi ratione, iudicium, quo lasciuorem, *TIBULLO* et *PROPERTIO*, censet, cum legissem, indagatio-
ne dignum putavi, de qua lasciuia conqueratur optimus Italiae magister? Statim animaduerti, non indicari, *OVIDIVM*, turpiori libidine incensum, in carminibus minus honeste pudicitiam habuisse, illumque, voluptatum blanditiis nimis deditum, verecundiae in scriptis rarius meminisse, *TIBULLO* et *PROPERTIO*. Nam negari quidem non potest, periculosum hunc amorum antistitem nonnulla carmina veneno imbuisse venereo, quid? quod lectorum animos, cum petulantiam et leuitatem argute, facete, et lepide describendam edidicerit, ne faciliori modo, quam *TIBULLVS* et *PROPERTIVS*, voluptatis illecebris delinitos inficiat, non inique timendam viderur. Indidem nonnunquam eadem animaduersione dignus est, qua *GACONIVS*, poeta Gallus: *il n'est pas le poëte des honeres gens*. Neque tamen *TIBULLVS* et *PROPERTIVS* vrbanioris iucunditatis sunt auctores. Cupiditatum enim lenociniis dediti multa, quae lectorem quidem ingenuum et liberalem fugiant, ipsos tamen tiillent, in iis deprehendere possunt, inde vt eluceat, *OVIDIVM* his verbis non talis a *QVINCTILIANO* aeca-

cusari lasciuiae, quae et ipsius turpiorem testetur voluptatem, et ad animos aliorum deprauandos, ut tamen fieri potest, plus conferat, quam TIBULLI et PROPERTII. Itaque longe alia, quae non tam in libidinosa animi indole, quam potius in ingenii copia et vbertate consistat, hic ut intelligatur lasciuia, necesse est. Contextam orationis QVINTILIANI seriem accuratius tecum si perpendaris, non dubitabis, quin haec vera sit huius vocis notio. Ipse enim QVINTILIANVS in antecedentibus hanc OVIDII lasciuiam ita interpretatus est: *est nimium amator ingenii sui*. Nonne igitur vides, ingenii intelligi lasciuiam, quo, magnorum fluminum instar, OVIDIVS interdum redundat? Quae vero a QVINTILIANO et ab aliis huic poetae cum vitio detur, causam eius agere constituimus. Quodsi igitur iam conemur ostendere, hac ingenii lasciuia elegantiae et venustati huius poetae non solum nihil detrahi, sed magnum potius, in Elegia praesertim, cumulum addi, brevis haec commentatio nostra, quo vtiliorem iuuentuti nostrae fore confidimus, eo faciliorem merebitur veniam.

SCALIGERVS, qui tamen ipse in OVIDIO castigando non erubuit, Poet. VI. p. m. 788. his verbis: *Quis de Ouidio satis digne dicere possit, nedum, ut eum audeat reprehendere?* non impediret, quo minus ingenii OVIDII lasciuiam, si vitium esset, reprehendendam censeremus. Duobus vero argumentis commoti, multum elegantiae et naturalis pulcritudinis OVIDII carminibus, elegiacis praesertim, hac ingenii vbertate et lasciuia conciliari putamus. QVINTILIANI igitur iudicium, quo OVIDIVM lasciuio-rem, TIBULLO et PROPERTIO, nominat, non solum nobis probatur, sed etiam in OVIDII laudem ut vertatur, necesse est. Multorum nimirum in diiudicandis aureae vetustatis auctoribus et sollertia et candore conspicuorum, qui idem statuerunt, auctoritate, et multis, immo innumeris, quae, comparatione facta, iudicium hoc probant, exemplis freti, QVINTILIANI iudicio adsentimur. Sic

Sic enim BARTHIVS in Aduers. LVIII. c. 9. non ingenium sed curam OVIDII desiderat, dicens: *opus eius vniuersum ingenium magis, quam curam r. fert*, et VOSSIVS in institut. poet. II. p. 73. Ouidius, ait, *si quo peccat, eo peccat, quod, magnorum fluminum instar interdum redundet, quodsi in eo vitium est, tot suis virtutibus satis illud compensat*. His adhuc addere liceat ROVSSEAV T. I. p. 246. dicentem:

*Trop indulgent au feu de son genie,
Mais varié, tendre, plein d'harmonie,
Sauant, utile, ingénieux, profond,
Riche en un mot, s' il étoit moins fécond.*

Hi omnes in eo conveniunt, OVIDIVM laxiores ingenio habenas, data opera, saepe misisse, quo cum abundaret, in omnes partes imaginatio se extendit, atque ex se ipsa peperit plura, necrens ex simulacris simulacra, illaque sibi quasi subordinans, ita, vt copia ipsa saepe laboraret. Diu argumento immoratur, nouis deinde argutiis fere vltra, quam par est, rem ornans, expertus illius eloquentiae, quae in tacendo consistit, quamque VIRGILIUS didicit. Haec igitur fortasse caussa est, cur ERASMVVS in Ciceroniano p. 147 OVIDIVM poetarum nominet Ciceronem, quia hic non Demosthenem, in quo nihil otiosum, et is dicendi modus est, vt nec quid desit in eo, nec quid redundet, inuenias, sed pleniorrem et magis fufum Aeschinem, cuius ex orationum numero nunnulas transtulerat, in Asiatica scribendi ratione imitando consequi studuit. Ex innumeris vero, quibus OVIDII lasciuia extra omnem dubitationem ponatur, exemplis, multis ambagibus re nota, immo trita comprobata, ne taedio simus, nullum memorare libet.

Comparemus potius OVIDIVM cum TIBVILLO et PROPERTIO, inde vt pateat, OVIDIVM non tam in genere lasciuum; sed lasciuo-

uiorem adhuc esse, duobus his purissimis nequitiarum scriptori-
bus. Quilibet ex supra iam monitis probe intelligit, nos non de
voluptuaria, qua OVIDIVS hos amorum duumviros pestifere an-
tecellat, sed de eius otiosa scribendi ratione verba facere. Ad il-
lam enim quid attineat, BAILLET enunciet: *ils peuuent être liés
hardiment par ceux, que Dieu a confirmé dans l'insensibilité de
leurs passions.* Quodsi vero de ingenii lascitiua QVINCTILIANI in-
terpreteris iudicium, nullus dubito, quin OVIDIVM longe mul-
tumque illa superare TIBVLLVM et PROPERTIVM censeas. TIBVLLVS
enim ex amoris anxietate maiori studio maiorique sollicitudine
canit, vniformis pene totus est, vt iudicat SCALIGERVS Poet. VI.
p. m. 795. vix discedens a se ipso, eodem paene gyro concluditur.
Ingemiosus quidem est, sed melancholice, ita, vt ab ingenio duca-
tur, non vero rapiatur, est copiosus, sed non otiosus, studiosus,
nequaquam tamen nimis artificiosus, nonnunquam negligens, nun-
quam tamen nimis lasciuus. PROPERTIVS vero ornatus quaerit sol-
licite, artem praefert naturae, nimis graecus est nimiumque do-
ctus et magnifico scribendi genere, in primis in carmine de ori-
gine vrbs Romae, et de Augusti victoriis, Elegiam saepe canit
heroice. Patet igitur, hac comparatione facta, tantam lasciuam
cadere neque in TIBVLLVM neque in PROPERTIVM, quantam
QVINCTILIANVS reprehendat in OVIDIO.

His vero praemisissis, quaestionem soluamus: num haec in-
genii lascitiua in OVIDIO sit censenda? omnes, qui OVIDIVM,
mollem illum, delicatulum, venustum et argutum legerint, in eo
conueniunt, vt praecipue in libris tristium poetae lasciuui nomine
dignum se reddiderit. O quam lasciuum, sic criminantur, poe-
tam! querelis centies repetitis nobis vere taedio est, nimis diu
argumento querelarum immoratur, et culpa huius lasciuiae cala-
mitatem suam mentitur grauiorem, quam vnquam fuerit perfe-
renda. Videamus igitur, cum lasciuiae non sit absoluendus, num
tamen

tamen aliqua ratione possit defendi. Duo potissimum sunt argu-
menta, quibus freti, causam OVIDII lasciuu in nos suscepimus.
Prius desumptum est ab indole et natura carminis elegiaci. Quae
cum in querelis ad excitandam commiserationem versetur, opus
est, vt calamitate pressus animi commotioni, in aliis excitandae,
sefe accommodet. Quod cum fit, ipse ab animi perturbationi-
bus, ex viua calamitatis contemplatione ortis, nonnunquam rap-
pitur, et quid inde? non eodem ordine, quo animo tranquillo
et quieto vteretur, cogitata enunciat, sed quae prius dicenda fu-
issent, ea postponit, iam dicta reperit, querelis, infelici multum
consolationis afferentibus, ad mitigandam doloris grauitatem,
nimis delectatur, et, quo magis alter dolorem existimet commu-
nem, partim ex amore sui, partim ex animi humani consuetudi-
ne, qua calamitatem perferendam semper grauiorem, quam per-
se fit, putat, doloris acerbiter verbis augere solet. Haec est ve-
ra carminis elegiaci natura, haec vera animi humani indoles.
Nunc visendi gratia adeas OVIDIVM prope Pontum Euxinum, vbi

Saepe sonant moti, glacie pendente, capilli,

Et nitet inducto candida barba gelu,

adeas, inquam, OVIDIVM, a speciosis, splendidis et illustribus pa-
parenibus, inde ab infantia, omni mollitia effeminatum, et ex
CROFANI computandi ratione, ditissimum et locupletissimum, mi-
sere vero in exsilio vitam degentem, et cur? quia aliquid vidit,
et noxia lumina fecit, adeas, haec omnia tecum perpendens, et
lasciuo facilius eris OVIDIO. Nos vero progrediamur ad argu-
mentum posterius. Ingenii lasciuia in OVIDIO non est reprehen-
denda, quia carminibus eius multum affert iucunditatis. Quem-
admodum viuis quasi coloribus grauitatem acerbiterque cala-
mitatis suae, ope lasciuiae, depingit, ita, vt illam fere commu-
nem putemus, (idem sensit auctor epistolarum iudaicarum, di-
cens:

gens: *ſ' entre dans les peines d' Ovide, lors que je lis ses Elégies, T. II. lettre 48.)* sic eadem lasciuia summo iucunditatis suauitatisque sensu nos captos tenet. Nam verum quidem est, OVIDIUM vbique locorum in libris Tristium cum luctu et gemitu calamitatis perferendae conqueri et deplorare magnitudinem, attamen semper nouis vtitur similitudinibus, quibuscum, ingenii vbertate adiutus, status sui miseri conditionem compareret, abundat imaginibus, et verborum copia et diuersitate fultus non easdem, sed nouas semper querelas canere videtur. Iam ex hac diuersitate, sicuti ex omni variatione, magna quin oriatur iucunditas, nemo est, qui dubitet. Hoc vero iucunditatis fonte relicto, alius adhuc se se aperit. Mirum est, quam iucunde, quam suauē Ouidius, ope ingenii lasciuiae, loci cuiuslibet ieiunitatem copia et vbertate vincat. Exemplum nobis praebet elegia prima libri IV. Tristium, statim ab initio. Mens OVIDII, omni ornatu poetico destituta, haec est: *cecini non propter famam, sed requiem conciliandam. Quis putaret, hanc mentem tam grate tamque iucunde potuisse amplificari:*

Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor,

Indocili numero cum graue mollit opus,

Cantet et imitens limosae pronus arenae

Aduerso tardam qui trahit anae ratem,

Quique refert pariter lentos ad pectora remos,

In numerum pulsa brachia versat aqua.

Fessus ut incubuit baculo, saxoue resedit

Pastor, arundineo carmine mulcet oves.

Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis

Fallitur ancillae decipiturque labor.

Fertur et abducta Lyrnesside tristis Achilles

Haemonia curas attenuasse lyra.

Cum

Cum traheret silvas Orpheus et dura canendo

Saxa, bis amissa coniuge moestus erat.

Omnis certe, nisi suauitate loci huius mouearis, sensus expers es. Quot cumulantur imagines, quarum quaelibet quid continet, partim calamitati ab Ouidio perferendae, partim eius leuimini, a Musa exspectando, quod conueniat, multumque dulcedinis carmini conciliet! Indidem nunquam ad illorum partes transire possumus, qui poetae huius venustissimi lasciuiam reprehendendam putent. Quodsi vero nondum acquiescant, rogantur, vt causam indicent, cur VIRGILIVM mirentur, qui, tanquam peritissimus artis eloquentiae, quae in tacendo consistat, vt supra illum nominauimus, in Ecloga I. vers. 83. sequ. et Aeneid. IV. 522 - - 528. luculentissimum lasciuiae exhibet documentum. Ne quid dicam de loco Aeneid. I, 550. sequ. vbi VIRGILIUS, (quicquid de la Cerda contra nos moneat,) ex ingenii lasciuia tautologiae accusandus iure meritoque videtur. Ceterum, si in carminibus omne superfluum esset vitiosum, legas philosophum, non vero poetam. Superfluum quid esse potest, ratione habita sensus, quamuis non venustatis. Poetae non tantum est, vt erudiat, et scientiis altioris indaginis animos lectorum imbuat, sed simul etiam delectetur, et delectando moueat.

Antequam vero huic commentationi finem imponamus, exemplis adhuc probari liceat, quanta cautione quantaque sollertia in inuestiganda poetarum lasciuia opus sit. Multa saepe videntur lasciuia, quae non sunt. Nam vel ex negligentia, vel ex ignorantia differentiae vocum, otiosi quid deprehendisse putamus, in quo tamen magna notionum differentia lateat. Tale exemplum occurrit Ouid. Metamorph. II, 112. sequ.

- - ecce, vigil rutilo patescit ab ortu

Purpureas, Aurora, fores, et plena rosarum

B

Atria,

*Aeria, diffugiunt stellae, quarum agmina cogit
Lucifer, et caeli statione nouissimus exit.*

Multi fortasse hic putarent, tautologiam, ex lasciuia ortam, reperire, poeta cum nihil aliud dicere constituisse videatur, quam: *dies illuxit*. Sed Apelles certe folis ortum naturae conuenientior pingere non potuisset, omnes notiones et voces inter se differunt. Primum diluculum, et aurorae aduentum annunciat regio caeli albescens, ita, vt aurora veniat *ab ortu rutilo*. In ipso diluculo, priusquam radii solis finientes nostros illuminant, aurora cernitur, colore fere purpureo tincta, id, quod OVIDIVS expressit: *pariescit purpureas fores*. Radii deinde solis finientes cum tetigerint, aurora conspicitur rosea, inde apud poetam *atria rosarum plena*. Nam Homerus iam auroram, partim propter coloris similitudinem, partim, quia antiquitas aurorae rosas dicauerat, passim vocat *εὐρωπαικὴν ῥόδον*. Aurora tandem exorta, *stellae diffugiunt*. Quamquam non *diffugiunt*, cum sint fixae, adueniente tamen aurora tam celeriter lumen illarum obscuratur, vt diffugere videantur, praeter vnam, quae adhuc cernitur, sed lumine sensim quoque languescente. Nequaquam igitur hic locus ex ingenii poetae lasciuia otiosi quid continet, ope potius imaginandi facultatis euentum aliquem naturalem ita descripsit poeta, vti accidere solet, gradatim, omnia vt naturae respondeant. Aliud exemplum euoluamus in HORATIO. Sunt, qui putent, HORATIUM lasciuiae et tautologiae, ex lasciuia ortae, qui accusetur, dignum esse. Locus qui HORATIO hanc litem mouet, legitur lib. I. od 2.

Seruis in caelum redeas, diuque

Laetus intersis populo Quirini,

Neue te, nostris vitis iniquum,

Ocior aura

Tollat.

Sed

Sed videamus, num HORATIVS hic notam mereatur lasciuiae? Optat, vt Augustus, vel Mercurius, persona Augusti indutus, tanquam filius Maiæ, ferus in caelum, vnde venerit, redeat, vel vt diuissime viuat. Sed calamitate pressum quid iuuat vitae diuinitas? quid igitur est, quod simul comprecetur a Ioue HORATIVS? amore tenerrimo et animo gratissimo impulsus optat, vt non tantum *diu*, sed etiam *laetus*, *diu laetus* intersit populo Romano, qui ad augendam eius maiestatem, post sublimem Romuli abitum, dicitur populus Quirini! quid vero naturae est conuenientius, hoc, vt animus sincerus atque simplex, dum alteri omnem felicitatem optet, oppositae calamitatis, a summo Numine auerendae, recorderetur? hinc: *neue re, nostris vitiis iniquum, occidit aura tollat*. Iniquus est Augustus Romanorum vitiis, haec notio digna est ipsius persona, quodsi vero dicendi formam reprehendas, *aura re ne tollat*, memor sis, Augustum in antecedentibus nominatum esse *alitem*. Quis igitur est, qui HORATIVM hic reperiat lasciuum? Logices regulis paullulum conuenientius notiones si separaueris, alteram ab altera diuersam esse et distinctam, statim animaduertes. Ne quid dicam de poeseos lyricæ indole, sublimitatem simul in breuitate quaerente. Sed centies accidit, vt tersæ latinitatis expertes, et regularum analyseos notionum contemptores, vocum differentia et accurata notionum separatione neglecta, auctorem garrulum, cum pueris ludentem, lasciuum, superfluae repetitionis studiosum, et nescio quem, querantur.

Haec ideo iam commentari suscepimus, vt actum oratorum Patronis significandi occasionem nancisceremur. Exercitationis causa tres bonae spei iuuenes publice habebunt orationes, quas ipsi elaborarunt. Linguarum vero, in quibus dicent, ratione habita, variationi vt studeremus, ordinem, quo in subfelliis se excipiunt, ita inuertimus, vt SCHVILERTVS, iuuenis pauper et bonae indolis, secundo loco prodeat, qui tamen primus esset.

Hinc I. IM.

- I. IMMANVELIS GOTTLIEB TOEPFERVS, Torgauensis,
de vtilitate studii chrestomathici, dicet latine,
- II. IOANNES GEORGIVS SCHVILERTVS, Torgauensis, *iucunditatem et praestantiam vitae eruditaе*, praedicabit oratione germanica, cui addet carmen germanicum, et
- III. GEORGIVS GODOFREDVS BVIRGERVS, Neidenfis, *adiumenta vitae scholasticae bene locandae* commendabit oratione latina.

Vti PATRONIS et AMICIS Lycei nostri publice gratias ago decen-
 tissimas, quod tam frequenter tamque benevole postremo actui
 interesse voluerint, ita iidem, si cras hora nona ante meridiem
 in auditorio maiori orationes has iuueniles audire non dedignentur,
 ad omne officiorum genus me promptum paratumque habe-
 bunt. Scribebam in Lyceo Torgauensi a. d. IX, Septembr,
 A. R. S. MDCCLXXI.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
was 75 flut /

R

VD 17





L A

BI

OR A

CARC

50
[] A M

TIONE

ENILES


CLXXI.

ANS

SINTENIS

ECTOR.

LIANIS.



B.I.G.

Farbkarte #13

inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black